



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

ANNOT. IOANNIS POMERANI

23  
non mandato, sed uoluntate. Et tantum abest, ut spiri-  
tualis homo de lege queratur, ut grauius sint omnia  
quae unquam contra legem dei in se, adhuc propter uetus-  
tatem carnis senserit: quae quanquam coram deo pec-  
cata sunt, tamen non imputantur propter spiritum re-  
pugnantem, ac damnantem, & propter nostrum sa-  
cerdotem iugiter interpellantem. Hanc legis abrogas-  
tionem solum intelligunt qui spiritum dei habent: si-  
cut dicit Paulus: Vbi spiritus domini, ibi libertas. Re-  
liqui omnes adhuc sunt sub lege & damnatione.

Talis enim decebat, ut esset  
nobis pontifex.

Sacerdotium, lex, sacrificia, templum, altare, sancti-  
ficatio, unctio, facta sunt omnia in Christo spiritualia,  
non amplius sunt externa. Nam sacerdotium Christi  
est in caelis coram patre, non super terram: ut infra ca-  
pite 8. sicut nec regnum eius est ex hoc mundo.

C A P V T V I I I.

Talem habemus pontificem,  
qui confedit ad dexteram.

**A**D figuram pontificis legis Christum produ-  
cit ex praedictis, pontificem regnantem, & ad-  
ministratorem in sanctis sanctorum, & tabernaculis  
non manufactis, habentem sacrificium aeternum, se-



mel oblatum, sicut in sequētibz uidebimus. Deus iam non habitat in templis manufactis, sed regnum cœlorum etiam in terris regnum inuisibile, regnum æternum, per Christum sacerdotem & regem, inuisibilitèr in spiritu, non huius mundi elementis administrat. Hæc sunt tabernacula dei, tabernacula fiducia & securitatis, tabernacula æterna. De quibus sæpe in psalmis & in prophetis canitur.

**Nam si esset in terra.**

Id est, terrenus sacerdos, & in externis rebus ageret, iam ne sacerdos quidem esset, quia nō est ex Leui: ergo non posset sacrificia secundū legem offerre, quæ pro tempore obtulerunt illi sacerdotes, per quem ser uierunt, non ueris rebus, sed tātum umbræ exemplari, & figuris cœlestium: id est, spiritualium rerū, quarum Christus est pōtifex & administrator, sicut Mosi ostensum est Exo. 25. qui uidit spirituale tabernaculum, cuius figurā ædificauit, donec omnibus quod spirituale est, proderetur per uerbum Euangelicū. &c.

**Nunc uero hoc excellentius  
sortitus est sacerdotium.**

Christi sacerdotium longe dignius est ueteri. Nam hoc intercedebat figuris ad deum pro hominibus sub ueteri testamento: illud uero intercedit ipsa ueritate, id est, per ipsum Christum, & eius iam inuisibile æter



ANNOT. IOANNIS POMERANI

numq; sacrificium est sub nouo testamēto. Vetus quod habuerunt illi sacerdotes, non potuit seruari ab hominibus, tantum abfuit ut iustificaret. Nouum quod habet Christus, dat spiritum iustificantem, qui manet nobiscum in eternum. Illud in tabulis saxeis erat scriptum, & litera erat: hoc in cordibus scribitur, & spiritus est & uita: id quod ostendit ex Hieremia.

CAPVT IX.

Lucernæ & mēsa, & ppositio panū.

**D**E his lege in Exodo cap. 25. & in sequētibus: Tabernaculum dei quod fecerat Moses, erat diuisum. Primum introitum tabernaculi, uocat hic primum uelum. Nam dicit post secundum uelum fuisse sancta sanctorum, cum prior pars tabernaculi dicta sit tantum sanctum, uel in plurali sancta. Quod uero hic author non multum uersatus sit in iudaicis rebus, ita ut non uideatur fuisse hebræus, hinc patet, quod in sanctis sanctorum ponit thuribulum aureum, cum plura thuribula aurea fuisse legantur: sed non in sanctis sanctorum, in quod cum thuribulo aureo semel in anno ingrediebatur pontifex. Item quod in sanctis sanctorum quoq; ponit urnam auream cum manna, & uirgam Aaron, que asseruata leguntur in tabernaculo, ut essent memorialia perpetua populi corā domino: quid populum monuissent, si in sanctis sanctorum

Tabernacul. dicitur

1

2